



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exemplorum Libri Tres

Liber Tertius, Sive Exempla Divinae Irae, Per Opera Poenitentiae, Nobis
Leniendae - Per Quadagesimam Anno M. DC. XLVIII. narrata

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 2. Author, & odij causa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48194)

quod etsi verum sit apud plurimos, haud pauci tamen etiam sunt, qui fideles, pij, iusti & fortes, meritò in exemplum militiae spiri- tualis proponi possunt. Qualis enim miles fuit S. Michael Arch- angelus? Abraham, Moyses, Iosue, Gedeon, David, Cornelius, Georgius, Sebastianus, Gallicanus, Mauritius, Gereon, Achatius, & omnes illi, quorum Litaniae nuper, seu syllabus totus in lucem prodijt. Quoniam igitur *militia est vita hominis super terram, & nos in carne ambulantes, non secundum carnem militamus*, propo- nam militis virtutem bellicam, nobis meritò, in militia spiri- tuali, imitandam.

Iob 7. 1.
2. Cor. 10. 3.

II.

AVTHOR, ET
ODII CAVSSA:
Reconset
eandẽ histo-
riam Michael
Piccartus
dec 1 obser-
uat Histori-
co Politica-
rum. c. 1.

Author, ex quo historiam sum prompturus, à me aliàs lau- datus, est Rodericus Santius p. 3. Hist. Hisp. c. 37. Eo capite, narrat, An. 1200. *Ferdinando Legionis XXXIII. regi in regno suc- cessisse filium Alfonso IX. qui viuo patre, ab Vrracã nouercã suã, primarij cuiusdam viri Didaci de Haro, domini de Viscaia, sorore, varia vereq; nouercalia mala expertus, nihil mutire ausus est, quamuis non leuiter offensus. Timebat enim patrem pro nouer- cã stantem. Itaq; re tota dissimulata, tacuit, & matrem carimo- nijs aulicis publicè ac priuatim, quantũ potuit, deliniuit. Facilius est linguam compescere, quàm mentẽ sopire, & iniuriã obliuisci. Quare licet verbis non quereretur Alfonso, tamen vindictam al- ta mente repostam tam diu secum coxit, donec, patre defuncto, in regni succederet hæreditatem. Simplex fuit Vrraca, quæ exi- stimauit Alfonso non obseruasse, aut oblitterasse ea, quæ viuo patre in illũ vel acerbè dixerat, vel fecerat iniquè. At Alfonso, defuncto patre, ad omnes illius actiones, praxes, & consilia, quàm diligentissimè attendebat, videbatq; Vrracam adhuc nouer- cam agere, & cum fratre suo Didaco de Haro multa perniciosè consilia agitare, neq; regno, neq; regi satis fidam esse. Erum- pente igitur tandem in apertum odij incendio, vindictæ tempus esse arbitratus, Vrracam, vnà cum fratre eius Didaco de Haro, do- mino de Viscaia è regno expulit. Hæ sunt vices imperantium, vè rota vertuntur, & qui iam in summo est, post annum erit in imo; vt vicissim pedibus conculcetur, qui antè alios pedibus calcavit; iuxta illud: *Pone principes eorum, sicut Oreb, & Zeb, & Zebec, & Salmana; omnes principes eorum, qui dixerunt: Hæreditate posside-**

Psal. 82. 12.



44 Cap. IV. M. Guterrij exemplo animã contra peccatũ defendendam.
ammi Sanctuarium Dei: Deus meus, pone illos ut rotam: & sicut stipulam ante faciem venti. Nam qui hodie in aulis sunt potentes, & summi, & exaltantur, ut cedrus Libani, repente, ut radij in rota, vertuntur, & fiunt imi, & transiunt, & ecce non erat. Quod videre fuit olim in Aman, in Achitophel, in Bellisario, in Seiano, in innumeris, qui fortunæ spectaculum fuere. Ut proinde ad finem istorum potiùs, quàm ad exaltationem sit respiciendum, sed in historia pergam.

III.
ARX INIMICI
QUAM INVISA.

Cessit Didacus de Haro, cum sorore sua Vyraca, & in Africam iuit, inter nigros homines infelix exulaturus. Non tamen ita cessit, ut non haberet animum redeundi, vel placato, vel sublato è viuis Alfonso. Quare cum castrum quoddam de Guiar dictum haberet, samã clarissimum, à situ loci, & munitione, quodammodo insuperabile, illud discedens nobili cuidam Hispano Marco Guterrio, (alij illum Guttherium nominant) in fidem tradidit, & etiam atque etiam comendauit. Ita ille in exilium profectus, regi crucem fixit. Experti sumus, his annis, quantum damnum toti prouinciæ afferat, etiam vnicum eiusmodi castrum. Luculentè id demonstrauit Hochenvvila, vnde eruptiones factæ non solum itinera infestauerunt, sed etiam omnes circumiacentes pagos & oppida, & arces tributarias fecerunt. Talis arx erat Guiar, regi in oculo spina, immo lancea. Delicata res est oculus, ne minimum quidem ferre potest puluisculum; quid non sentiet, si spina, immo lancea pungatur? Non poterat Alfonso pati, ut Didacus in regno suo nomen, ne dum arcem haberet, in quam tot prædæ conuehebantur. Itaque sicut, qui reliquo toto corpore est sanus, si vnicum adhuc vlcus sentit, quiescere non potest, donec rumpatur: ita neque rex potuit esse tranquillus, donec ea arce potiretur. Pro ea occupanda, omnem aleam censuit tentandam, lapidem omnem mouendum.

IV.
MARCI GUTERRII FIDELITAS TENAXA.

Iam attendite diligenter, & discite omnes, quid vos, hoc tam turbulento tempore, vel facere, vel fugere par sit. Omnem Alfonso mouit lapidem, ut arce potiretur, consilijs itaque varijs usus est. In primis misit legatos ad Marcum Guterrium, qui arcem peterent sibi nomine regis tradi, ad quem titulo iustitiæ pertineret, tamquam bonum exulis, fisco addictum regio. Ibi tum patuit,